Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26422
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sentire. unitate que de prelata atque laudata. quam beatus cyprianus et eius
college qui cum eo concilium illud fecerunt cum diversa sentientibus tenu
erunt hereticorum et scismaticorum sediciosas calumpnias reprobantes
atque arguentes. in nomine domini nostri ihesu christi. quod per apostolum suum loquens ait. suf
ferentes invicem in dilectione studentes servare unitatem spiritus in
vinculo pacis. et post pauca ait. Si quid aliter sapitis. id quoque deus vobis revelabit.
sanctorum episcoporum sententias. salvo cum eis vinculo unitatis et pacis in quo
retinendo eos quantum ipse dominus adiuvat imitamur. considerandas
aggredimur.

CECILIUS A BILTA dixit. Ego unum baptismum in ecclesia sola scio
et extra ecclesiam nullum. Hic erit unum ubi spes vera est. et fides certa. Sic
enim scriptum est. Una fides. una spes. unum baptisma. Non est apud
hereticos ubi spes nulla est. et fides falsa. ubi omnia per mendacium aguntur.
ubi exorcizat demoniacus. sacramentum interrogat. cuius os et verba can
cer emittunt. fidem dat infidelis. veniam delictorum tribuit scele
ratus. et in nomine christi tingit antichristus. benedicit a deo maledictus. vitam
pollicetur mortuus. pacem dat inpacificus. deum invocat blasphemus.
sacerdotium administrat prophanus. ponit altare sacrilegus. Ad hec
omnia accedit et illud malum. ut antistes diaboli audeat eucha
ristiam facere. aut qui illis assistunt. dicant hec falsa esse de hereti
cis. Ecce ad qualia cogitur ecclesia consentire. et sine baptismo. et sine ve
nia delictorum communicare compellitur. Quam rem fratres fugere ac vita
re debemus. et a tanto scelere nos separare. et unum baptismum tenere quod
soli ecclesie a deo commissum est. Ad hec respondeo. Q